



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-160700-p0002-2

DFG

AK. 534, 53

B. m. II




CARMINA
SCRIPTA AB AME-
CIS IN Nuptias CLARISSIMI
VIRID. IOHANNIS SCHOSSEMERI PO-
etæ laureati, Professoris in inclyta Academia Fran-
cophordiana, & castissimæ eius sponsæ
Margaridos.



VVITEBERGAE EXCV DEBAT
Laurentius Schuenck,

1560



CARMINA

CRIPTA AB AME


CRIPTA AB AME

ARIDIOHANNIS SCHLOSSBRIBO

GRIMM, Professors in der Akademie zu Jena

copiorum & canticorum eiusdem

Mitteilungen



VITBERGAE EXQUISITA
Principis Scholae

1260



ELEGIA NVPTIA
LIS SCRIPTA IN HONOREM
CLARISSIMI VIRI D. IOHAN-
nis Schosseri Professoris in inclyta
Academia Francophor-
diana.

MICHAELE HASELOBIO
Berlinensi autore,

EST teneris pulcer uestitus floribus hortus,
Qua pede fodit equus Bellerophontis aquā.
Non aus incuruo delibat germina rostro,
Nec teneræ quærit pabula pastor oui,
Intus aues dulci meditantur gutture carmen,
Sæpe suum mater Thracia plorat Itym.
Numen inest, oret sanctum pede supplice numen,
Stet ueniens prono lumine, numen inest.
Fons sacer in medio spacio flumine currit.
Hinc uelut æterno rore madescit ager.
Gignit Apollineam uictoris præmia Laurum,
Et Dea quam Cypris crine nitente gerit.
Parturit & fructus, quos nec florentia Tempe.
Nec tener Alcinoi diuitis hortus habet,
Qualia Cydippe proiecit Acontius heros.
Talia poma locus uel meliora creat.
Nuper ad hunc ueniens numero stipata Dearum,
Cypria lustrabat germina, propter aquas.

A ij Cautaq̄



Cautaꝝ percipiens herbæ melioris odorem,
Purpureis iungit lilia mixta rosis.
Sertaꝝ pulcra parat, celebri mittenda Poëtæ.
Huc ubi piscoſis Odera serpit aquis.
Dum parat, aſſistunt Satyri Fauniꝝ bicornes,
Aſtat Hamadryadum Naiadumꝝ chorus.
Pars canit ad citharam, citharā pars pectine pulsat,
Pars uelut in gyrum corpora læta mouet.
Pars choreas ducit, choreas pars altera cernit,
Gramina pars uerno tempore nata legit.
Anguibus ornatam uirgam tenet inclytus heros,
Pleione natus qui genitrice fuit.
Et nitidum gestat flauo sub crine Tiaram,
Vestis & illius candida membra tegit.
Aurea subnectit niueis talaria plantis,
Ut peragat ſummi ſeria iuſta louis.
Stat propè fatidicus longa cum ueste Sacerdos,
Et citharam manibus blandaꝝ plectra gerit.
Dum canit auratis cernendus Apollo capillis,
Mota ſono ſuaui Musica turba stupet.
Parte fed ex alia pellit ſub retia ceruos
Delia, Syluarum uiuere ſueta locis.
Iam ſtruit inſidias, latitatꝝ ſub arbore ſolers,
Iam Dea fetofos cuſpide figit apros.
Impatiensꝝ moræ uenatibus apta, furentes
Incitat, excitos ad noua bella, canes.
Tum celeres currunt certa ſine lege moloffi,
Et miseraſ lacerant dente rapace feram.

Quæ

Quæ facet ante pedes tristis, uicinaq; morti
Purpureo madidam sanguine tingit humum.
Nescit & atrocis rabiem uitare malignam,
Corpore dum sæuit, dum furit ore, canis.
Commaculat rosea bibulas aspergine terras,
Exhalans animam saucia cerua suam.
Feruet opus: dea pulcra magis iubet ire ministros,
Dentibus & plures sollicitare feras.
Vocibus hi Dominæ parent, & iussa facessunt,
Et nitido miscent prælia multa die.
Nec prius absistunt, quām tandem corpora centū,
In uiridi iaceant morte perempta solo.
Plurima sic uicibus uarijs certamina crescunt,
Dum sua purpureis Sol iuga demat equis.
Dum moheant dulces orientia sidera somnos,
Præbeat & niveam Cynthia pulcra facem:
Talia dum sunt iaculis oneratus & arcu,
Lustrabat Viadri flumina blandus Amor.
Et nocuis feriens multorum pectora telis,
Visere Gorgoneas instituebat aquas.
Et ueluti cœlos lustrans Neptunius ales,
. Flumina Mæandri lene fluentis adit.
Iam secat excellsum uibrantibus aëra pennis,
Humida iam uolucris sub uada fertur aquæ,
Tamq; diu uehitur pennis olor albus in aura,
Cærula dum subeat fluminis antra sui:
Non aliter Paphius puer æthere ducitur alto,
Donec ad Aoniam progrediatur aquam.

A iiij Gaudet

Gaudet ouans spolijs prædaq; potitus opima,

Vt referat matri subdola facta suæ.

Vt subiit Gnydius penetralia nota Dearum,

Ad properasse Deum signa Cupido dabat.

Nunc puer assultat, matri nunc oscula libat,

Nunc cupida prendit candida colla manu.

Alma Venus cernens lætantis gaudia prolis,

Effectos celeres cogitat esse dolos.

Nam sobolis tacitas fallacis nouerat artes,

Sæpius & Paphias senserat ipsa faces.

Ac uelut est mulier rerum studiosa nouarum,

His sobolem dictis Cypria mater adit.

Care meuni robur, mea nate potentia solus,

Vnica uis cordi semper amata meo,

Si mihi non tantum concedis nominis usum,

Si tua sub grauido corpora uentre tuli.

Si mea traxisti sugens puer ubera quondam,

Significes animi gaudia læta tui.

Nam nisi me fallunt certæ præfagia mentis,

Iuppiter est captus per tua tela deus.

Rursus Agenoream tauri sub imagine duxit,

Vexit & hanc Diuûm perfreta uasta Pater.

Aut specie Cygni nuptam delusit adulter,

Corporis & formas coepit habere nouas.

Aut etiam falsis tremefactam cornibus Io

Lusit, & est ueteri captus amore suo.

Mille tuæ fraudes, tua mens est oblita felle,

Dulcior hybleo nectare lingua canit.

Credi-

Credimus os tenerum uera dulcedine tintum,
Intus inexhaustum pectora uirus aluut.
Sensit inextinctas proles Priameia flamas,
Dum rapit è Graia Tyndarin urbe Paris.
Quām iuueni blandis amor arridebat ocellis,
Hei mihi qua fuerant corda perusta face.
At sceleris postquam ueniebat Græcia uindex,
Ut uirides Troiæ depopularet agros,
Tunc fuit ostensum quod amaror inesset amori,
Mella quod os habeat, pectora fella tegant.
Tunc fuit improbitas tua nota, cadentibus urbis
Moenibus & populo diripiente domos.
O quoties gelido cedit de corpore sudor,
Quando subit mentem frauds tua gnate meam.
Nec mihi qui parcis, cuius præcordia telo
Transadigens, flammis Martia membra quatit.
Natus ad hæc ridens, & fraudis conscius autor,
Suauibus ad matrem uocibus usus, ait:
Non mea Diuorum iam sensit spicula summus,
Non aliquod Martis pectora uulnus habent,
Non Gnydius magni Iouis ossa perambulat æstus,
Non etiam Lunæ Latmius igne perit.
Non etiam Phœbus mea tela perosus & arcum,
Thessalidos Nymphæ uulnus amoris habet;
Da ueniam genetrix, nouitas gratissima cunctis,
Prisca iuuent alios, me noua cœpta trahunt.
Ut uaga mens oculiç uagi: sic omnia mater
Sunt uaga, quæ fieri subdola corda uolunt.

Non



Non mea Diuorum modò spicula pectora lœdunt,
In doctos aliquid fraus mea iuris habet.
Qui licet assiduis uenerentur Pallada curis,
Et studijs tribuant tempora multa suis.
Attamen Idalias ut habent sub pectora flamas,
Sic uictas præbent in mea uincia manus.
Ille decus sacri Schofferus amabile Phœbi,
Iam pharetræ sensit fortia tela meæ.
Egregij clarus Schofferus carminis autor,
Cui nitidum cinxit Laurus amœna caput.
Marchiacos celebrante Duces & prælia Regum,
Abluit in cuius carmine Musa manus.
Is liciti sociam thalami sibi legit honestam,
Cui studio mores conuenienter eunt.
Hanc pietate grauem pulcram deducet ad urbem,
Canus ubi liquidis Odera currit aquis.
Stigelius uates Thuringæ gloria gentis,
Carmina legitimo concinet apta toro.
Illaq; uel referent Andinæ flumina uenæ,
Aequabuntūe modos Naso diserte tuos.
Outinam Princeps concederet oçia uati,
Quo gaudent Brenni mœnia celsa Ducis:
Ipsemet ad sacram Sponsum deduceret ædem,
Maxima Pegaseæ fama Sabinus aquæ.
Et solita ueterem cura complexus alumnum,
Firma uoluntatis certaq; signa daret;
Maior Apollinea præcinctus tempora Lauro,
Qui thalami celebret iura, paratus erit.

Aemula



Aemula Romulei componet carmina uatis,
Qui Phrygij dixit fortia bella Ducis.
Victriciꝝ coimas redimitus fronde Bocerus,
Mitteret ad licitum carmina blanda torum,
Si celebri uates bonus esset in urbe Rosarum,
Splendida quā cœli uerba Chytræe doces.
Siue peregrinas demulcet carmine gentes,
Seu patriæ dicit fortia facta suæ,
Outinam sciret, tædas properaret ad istas.
Codicius Clarij flosꝝ decusꝝ iugi,
Codicius uena priscis & acumine mentis
Par, caneret fratri carmina culta suo.
Viuat, & aureolis exornet secula libris,
Nomen & à sera posteritate trahat.
Argolici celebris tuba uiua Caselius oris,
Ausonij fausto sidere regna petat,
Dira uenenatae nec lædant pocula Circes
Teutona quem merito suspicit ora, uirum.
Qui numeris caneret connubia sacra Pelasgis,
Ausoniæ nuper ni subijsset humum.
Vt reor Arctoa Thomas discedet ab urbe,
Rebus ubi Princeps ocia grata dabit,
Munificus thalamos Matthias uiset honestos,
Legitimi decorans publica festa tori.
Consilijs dandis habitus doctissimus autor,
Numina cui Pindi sacra fouere labor.
Forsan & eloquij magnus Prætorius arte,
Pectoris ostendet nuncia signa sui.

B Ipse



Ipse Machaonio Flaccus celeberrimus usu,
Ad Viadri latas accelerabit aquas.
Stendaliam linques urbem reuerende Sinapi,
Qui teneras Christi nectare pascis oves.
Pannonicæ præstans Albanus gloria stirpis,
Frugiferos Viadri sponte subibit agros,
Nobilis Albanus uirtute Georgius omni,
Et superans animi nobilitate genus.
Non aberis studijs exculte Copernice Phœbi,
Qui dedit in labris Attica mella tuis.
Et uenient plures Doctorum nomine clari,
Odera quos liquido flumine latus adit.
Tu quoq; cara Parens sponsæ tua munera trades,
Et celebri Sponso munera digna dabis.
Ipse comes iaculis ibo munitus & arcu,
Serta parens Myrti flore parata geres.
Ad latus incedet cui sacra iugalia curæ,
Et rata pro talami foedere uota canet.
Nulla sed h̄ic nobis cunctandi tempora restant,
Nec tua Sidonio murice membra tegas.
Cum gelidas etenim Phœbus geminauerit umbras
Cras, sacer amborum pectora iunget Hymen.
Nos igitur Viadri celeres abeamus ad undas,
Nec mora propositum longa retardet iter.
Dixerat: ac genetrix audit̄i conscientia facti,
In niueas sumit dona ferenda manus.
Myrtea serta nouo Sponso, nuptæq; Smaragdum,
Pluraq; quæ nitidis egerit Hermus aquis.

Conti-



Continuō linquens hortos Dea Cypria cultos,
Progeniem secum præcipit ire suam.
Marchiaços quando colles, & rura subibant,
Aduena qua liquidas Odera uoluit aquas.
Fit sonus, aduentusq; sui tria numina signum,
Sancta dabant celerum mobilitate pedum.
Odera præcipiti procurrens flumine, ripæ
Protinus æternos sensit adesse Deos.
Sensit adesse Deos. Quapropter piscibus auctum,
Squamigeris fluuium lenius ire iubet.
Ipse paludoso præcinctus tempora musco,
Vix caput ē gelido flumine ferre potest.
Et baculo nixus sustentat debilis artus,
Pluribus & seclis languida crura labant.
Poplite curuatam paulatim pulsat arenam,
Multaq; de summo uertice gutta cadit.
Irrorans barbam senis exanguesq; lacertos,
Et fragiles artus humidulumq; caput.
Labilis ut solitas aqua demanauit ad oras,
Succiduo senior poplite lapsus ait:
Quid facit ut penetrant sancti mea flumina Diui.
Et celeres istas transgrediantur aquas?
Huc quoq; uenerunt turba stipante sorores,
Limina uirginei quas Heliconis habent.
Cui dabitis prati factas de flore corollas,
Cuius & hic florens igne Smaragdus erit?
Num thalamos cernet præsentia uestra iugales,
Quas fieri uulgus luce sequente refert.

B ij Siue



Sive reueluetis facundi scripta Sabini
Dulcia, quæ Regum fortia facta canunt.
Vnde comas meruit Lauro Parnaside cingi,
Pieridumq; tulit ferta parata manu.
Quæ uirides illum duxerunt sœpe per hortos,
Sancta Medusæus qua loca cœtus habet.
Sœpeq; miratas Diuas iucunda canentem,
Duxit is Aonias ex Helicone Deas.
Cuius in irriguis hortis pro carmine blando,
Has habili memini texere ferta manu.
Præside proq; suo Musas assurgere uati,
Et numeris blandos suppeditare sales.
Has admiratas facilem sub carmine uenam,
Iungere Socraticis seria multa iocis.
Quicquid erit causam mihi significate latentem;
Sic iuuenum cœtus numina uestra colat.
Finijt ista senex, tenuitq; silentia canus,
Auribus hausturus Cypria uerba suis.
Ignotas aperit causas Ericina roganti,
Cur uiridem gemmam pulcraq; ferta ferat.
Nec remorata senem, Sponso sua dona dabuntur,
Caraq; matronæ dona dabuntur, ait.
Splendida quā primū Schosserus templa subibit,
Ipsiū imponam Myrtea ferta comis.
Nam, nisi Phœbeam gereret sub uertice Laurum,
Illiū ornaret Laurea sacra caput.
Hoc prius Aonides donarunt munere uatem,
Me noua sed merito munera ferre decet.

Templa

Templa petituræ nitidum sacrabo Smaragdum,
Iuraqp, per uitæ secla sequenda, feram.
Est celebris dignus præsenti munere uates,
Nuptap cœlestis munere digna Deæ.
Dixit, & optatam gressus direxit ad urbem,
Ponè genetricem prole sequente suam.
Ut fuit ingressus portas cum matre Cupido,
Et Bromij gnatus consequeretur Hymen:
Tecta noui quærunt pariter sublimia Sponsi,
Perficienda quibus tæda iugalis erat.
Nec mora concidunt thalamū quo sponsa sede:
Ad sacrum templi progreditura locum. (bat,
E loculis mater promens munuscula Cypris,
Optat ut eueniant prospera multa toro.
Sic licito, dicit, surgant felicia lecto,
Prolep multiplici crescat adaucta domus.
Quo thalamos ornō nitidum tibi dono Smaragdū,
Quem tibi non parui muneris instar habe.
Hoc equidem multò maius meliusqp deditsem,
Vir patrias si non nuper adisset aquas.
Sed quoniam nequeo maiori munere tædas,
Quod tamen optarem, condecorare tuas,
Consule Sponsa boni præsens illudqp reserues,
Est aliquid magnæ munus habere Deæ,
Et quoties gemmam blandis lustrabis ocellis,
Officij memorem te decet esse tui.
Scilicet ut poscas crebris pia numina uotis,
Cordap sint ueri plena timore Dei.

B ij Post



Post etiam casto uenereris amore maritum,
Et pietas nitet pectore pulcra tuo.
Sit probitas morum curae tibi, sitq; uoluntas
Ad placitum socij cuncta referre uiri.
Sit quoq; sancta fides cordi tibi, nitere cunctis
Viribus, ut roseo lucent ore pudor.
Nam pudor in primis matres commendat honestas.
Et grauitas illas non simulata decet.
Sic eris in tota uita carissima sponso,
Lædere nec poterit lis odiosa torum.
Vix ea finierat uolitantis mater Amoris
Splendida cum nuptæ limina sponsus adit.
Multa rogaturus uarijs de rebus agendis,
Multa suæ sponsæ iussa daturus erat.
Aurea sed primas Dea Cypris adorsa loquelas,
Enitido promit florida serta sinu.
Florida serta sinu promit, quæ nuper in horto
Pieridum facilis texuit arte manus.
Et tibi nos, inquit, ferimus munuscula prompti,
Noster ut in uatem significetur amor.
Cuius Apollinea quantumuis tempora Lauro
Præ reliquis multis condecorata nitent:
Attamen hac Myrti facta de flore corona
Optime te uates demeruisse uolo.
Et precor ut uireat non marcescentibus ullo,
Tempore, dum fuerit uertice gesta, comis,
Haud mora dat dextram sponso, nuptamq; salutat
Et lepidis ambos detinet usq; iocis.

Interea

Interea pharetratus Amor sua spicula promit,
Et tacitis figit pectus utricq; dolis.
Suauiter & ridens consueto more triumphat,
In tacitas fraudes ingeniosus Amor.
Mox Hymenæus adest fertis ornatus & auro:
Dextera flammiferas gestat onusta faces.
Corpus erat Tirio uelatum murice: Regum
Ausonio talis tempore cultus erat.
Articulos nitidos preciosa premebat Iaspis
Gemmaq; fœcundis quam tulit Indus aquis.
Is quoq; tædarum pro tempore pauca locutus,
Sollicitis animos lætaq; corda dedit.
Significans superis gratissima cœpta probari,
Cum iacet in molli nuptaq; uirq; toro.
Hos ornare, quibus sunt uincla iugalia curæ,
Hos damnare, quibus Cypridos acta placent.
Pelea multiplici dotatum munere castum.
Oedipoden summo crimine digna pati.
Et dare legitimi felicia pignora lecti,
Pignora uel cunctis anteferenda bonis.
Nam uelut Ausoniæ nitidissima Pallados arbor,
Egregio pulcras ornet honore domos:
Sic sobolem largam castos decorare parentes,
Et cunctis opibus suauius esse decus.
Talia comimorans animos accedit honestos,
Sustulit & dictis tædia cuncta suis.
Summaq; dum cessant sub ijsdem numina tectis,
Munera munifica larga dedere manu.

Alma

Alma Venus blandos oculis afflabat honores,
Donaq̄ matronæ non inhonesta dabat.
Perpetuum Paphius puer accendebat amorem,
Legitima feriens saucia corda face.
Castaq̄ pro tædis Himenæus uota sonabat,
Quæ minimē posset soluere longa dies.
Pluraq̄ facturi fuerant, nisi signa dedissent,
Aerea multoties tympana pulsa manu.
Sed precibus fusis dictaq̄ salute, uicissim,
Ad solitos hortos ingrediuntur iter.
Haud mora præclara uatum stipante corona,
Cum reliquis Sponsus splendida templa subit.
Consequitur pulcris circundata Sponsa puellis,
Ad Viadrum fertur quas aluisse parens.
Illarum facies erat exæquanda Deabus,
Siue tuæ Lede, Tyndari siue tuæ.
Has magis exoptet rapta pro Gnoside Bacchus,
Sidonis haud coniunx tam benè culta fuit.
Qualia sublucent sub celo sidera cœlo,
Talia uirgineæ lumina plebis erant.
Cedere iurares pulcerrima lilia malis,
Vincebant ipsas ora uenusta rosis.
Collaq̄ Sithonia niue candidiora nitebant:
Talis erat formæ gratia, tale decus.
Has grauitas Sponsæ superabat digna puellas,
Et rubeus casto mistus in ore pudor.
Talis erat quondam caro coniuncta marito,
Alcestis socio fida reperta toro.

Vt su,

Yt subeunt celsam pictamq; coloribus ædem,
Corpora legitimo fœdere Præco ligat.
Et canit historias, & commendantia lectum,
Connubij dicens sacra placere Deo.
Innuit esse decus numeris attollere tædas,
Castaq; sancito corpora iuncta toro.
Magna fuit quondam cum coniuge uiuere uirtus,
Sed graue crimen, ait, Cypria furta sequi.
Tunc siluere fides cytharæ cum Sestias Hero,
Fouit amatorem nocte silente suum.
Cum Paris abduxit de Graijs Oebalin oris,
Excidij Troiæ fons & origo Paris.
Tunc quoq; muta fuit lyra cum te Sidoni uexit,
Iuppiter insanus per freta uasta Deus.
Ast ubi Neptuno mater Nerëia nupsit,
Fertur Apollineo pollice tacta chelys.
Fons doctrinarum uates cœlestis Homerus,
Carmina confueuit dicere ſepe toris.
Et chelyn in sacris Hymenæis sumpsit, & illa
Argolici cecinit fortia facta Ducis.
Quùm thalami magno consors fuit addita Cadmo,
Pieridum manibus clanguit apta chelys.
Sic tua connubij dum uincis corpora uinclis,
Carmina culta tibi lætus Apollo canet.
Pegaseis Schoffere choris carissime Musis,
Aonides referent dulcia uerba toris.
Ipse rogo, Pylium uiuendo Nestora uincas.
Res ut adaucta tua, publica crescat, ope.

C **Lucis**



Lucis id attribuat longe sanctissimus autor,
Quiq; suo miseras sanguine lauit oves.
His ita perfectis solitas gradiuntur ad ædes
Ingenuæ matres & sacer ordo senum.
Votaq; coniungunt precibus gaudenteq; uulgo,
Omnis lo uatum concio sæpe canit.
Post adeunt mensas, & fercula dulcia sumunt,
Et lepidis recreant pectora læta iocis.
Concinit ad mensas Phœbus Cliusq; sorores,
Ac geminant uatis gaudia blanda sui.
Salue Pegasei decus indelebile fontis,
Eueniant cœptis non nisi fausta tuis.
Mutuus in uobis sit amor, pietasq; sit ardor,
Vna fides adsit numine fisa Dei.
Ille det egregiam sobolem, det Nestoris annos,
Et superas canum scandere posse domos.
Pluraq; cantantes lætantur honore Poëtæ
Cuius adornarent Laurea ferta caput
Donec ad occiduas Titan descenderet undas,
Hesperus & roseis insequeretur equis.
Sic sacer ad mensas Hymenæaç; gaudia Cynthi
Peligno cecinit carmina blanda Deus.
Idaliasq; rosas & de Libanotide suaui,
Ferta uerecundo motus amore dedit.
Interea Liuor tenebrosis abditus antris,
Successu marcat maxime Sponse tuo.
Lumina qui cruciat sua tabescitq; uidendo,
Corpus habet macies pallor in ore sedet.

Felle

Felle uiret pectus, nec sentit munera somni,
Lurida uipereo lingua cruore madet.
Cor uorat ipse suum, reprehendit singula, carpit
Nobilis & famam rodere uatis amat.
Dumque parum meritos dictis incessit amaris
Carpitur, & poena digna furente facit.
Trux facies asueta graui gaudere dolore,
Tristitia motus risus ab ore uenit.
Fortuna dolet alterius, rebusque secundis,
Quaque potest doctis parte nocere nocet.
Ac ueluti Solem sequitur comes umbra nitentem.
Sic sequeris magnos Liuor acerbè uiros.
Sicut & est fumus flammatu proximus igni.
Sic etiam uates æmula turba notat.
Morsibus inuidiæ sic est obnoxia uirtus,
Ipsa sibi premium quæ tamen esse solet.
In uiuis Liuor uires acquirit acerbis,
Impigri comitans ardua facta gradu,
Post obitum uati continget gloria maior,
Si qua uenit serò laus, satis ampla uenit.
Is nimis infelix, quem nulla calumnia lædit.
Non solet obscuris Liuor obesse uiris.
Rodere uirtutem rebusque dolere secundis,
Cernere non æquo lumine summa solet.
Nec minus & Stygio Basiliscus percitus Oestro,
Impia qui rabido corda uenena fouet.
Et latet obscuris solus proiectus in antris,
Virus in humano corpore turpe iacit.

C ij Illud



Illud & infano uulgi diffundit ad agmen,
Pectore qui Crudi nomen inertis habet.
Qui sua futilibus cum nugis somnia narrat,
Sunt ubi sacra Dei uerba docenda, loco.
Audet & insontes falsis proscindere dictis,
Aula quibus nigri parcere Ditis amat.
Crudus Auernalis soboles monstrofa Megeræ,
Si uatem perget lædere tostus erit.
Tesiphone furijs cruciabit Erynnios illum,
Igneq; quo meruit turpia membra coquet.
Oraq; torquebit uanas fundentia uoces,
Ius Acherontææ qui regionis habet.
Crudus erit tostus, Liuor marcebit iniquus,
In gremio Stygij fotus uterq; DEI.
Sed placidæ cernet tranquillæ secula uitæ
Candor, honestatis quem pia iura iuuant.
Qui thalamos adiens licitos spectansq; paratos,
Gaudia corde suo lætus & ore notat.
Successu gaudet uatis, fruiturq; uidendo,
Et canit ad Sponsi carmina læta torum.
Aonidum uates studijs doctissime salue,
Non noceat cœptis inuida lingua tuis.
Principium felix, finis felicior assit,
Et socium turbet nulla querela torum.
Hæc ubi dicta : petit rursus sua strata iuuentus,
Scilicet in castas tota soluta preces.
Discedunt Musæ, præses discedit Apollo,
Et dulces tandem conticuere lyræ.

F I N I S.



EGLOGA SCRIBTA IN NVPTIAS CLARIS.
SIMI VIRI &c. IOHANNIS Schofferi, Autore

VVENCESLAO ECKERO
Pilsnensi,

Daphnis. Tityrus.

T' Ityre dum subitis tollit se flatibus Auster,
Et Sol decedens paulatim mitigat æstus,
Colle sub aduerso tecti nemoralibus umbris
Carmina dicemus IANO cui candida multum
MARGARIS, æterno thalamos deuinctit amore.

Daphnis.

Incipe Daphni prior quoniam successimus antro, Tityrus,
Incipe uicinæ respondent omnia syluæ.

Proxima monticolis Thuringia cingitur Hessis Daphnis.
Diues opum, si forte tuas peruenit ad aures
Terra, antiqua, potens, & multo consita Baccho.
Læta iugis nemorum, sed lætior ubere glebæ.
Illic prata uirent, illic florentibus aruis
Pascuntur pecudes, aut circum flumina balant.
Cum frondent syluæ, cum formosissimus annus
Vere nouo, DAMON salientem fontis ad undam
Ad uolucrum cantus residens, sua carmina cantat
Carmina, non unq; seculo exaudita priori.
Has ego dum nuper IANO comitatus in oras
Deuenio, & quæ sit lustro fortuna locorum
Manè fuit, nec adhuc solis iubar orbe refuisit,

C iij Egress



Egredimur, qua parte leues facit unda susuros
Ignari pariter rerum sortisq; futuræ
Ecce puer medio sese tulit obuius aruo,
Succinctus pharetra , & fidens pernicibus alis,
Idaliæ similis matri, cognouimus ora
Diuinosq; adeo gressus, puerilia tela .
Tum prior ô iuuenes inquit, miserescite nostri
Si pietas usq; est, puero succurrite læso,
Et desperatam misero donate salutem,
Non erit officij fallax mihi gloria uestri.
Quod si forte iuuat casus cognoscere nostros,
Dicam equidem : rutilus sero cum uespere Phœbus
Conditur, irrigui ludebam in gramine prati,
Imbelles uersans pharetras, tenuesq; sagittas.
Forte superueniens syluis frondator ab altis,
Viderat adducto flectentem cornua neruo
Quidque tibi scelerate puer cum fortibus armis?
Dixit , & extensis medium me corripit ulnis,
Et male pugnantem contra , elabiq; uolentem
Sustulit, & gelida uibratum mersit in unda.
Vix tandem eripui lethome, & graminæ tectus
Hanc latui noctem, iam nunc quoq; flumine crines
Distillant, gelidusq; coit formidine sanguis
Dixerat : & largo perfudit lumina fletu.
Miramur primos uultus, & blandula uerba,
Præcipue motus casii, lacrymisq; decoris
Suscepit puerum IANVS , multumq; trementem
Fouit, & acceptum tepido uelabat amictu
Fingentem gemitu causas, mentitaq; uerba.
Dum gestat, placidisq; iterum complexibus ambit,
Paulatim ille nouos parat instillare calores
Incauto, mollitq; animos, atq; ingerit ignem
Nec rebus mora longa fuit, puer exilit ulnis

Idalius

Idalius coepitq; leui contendere passu.
Mox ô hospes ait IANO (modo desijt algor)
Anne meus uires retinet, quas attulit arcus?
Experiar: simul elato cum poplite flexum.
Viribus incuruat non iam puerilibus arcum,
Depositacq; ferox promit duo tela pharetra,
Vnum ingens, pulchrum, quod adhuc à cede repebat,
Inposuit neruom & IANI in præcordia misit.

Margaris interea uiolas & lilia miscens,
Purpureo florum calathos implebat honore,
Ut puerum uidit celeres tentare sagittas
Constitit, & digitis flores cecidere remissis
Obstupuit, uultusq; Dei gressu sc̄q; decoros
Miratur, & adire timet tremit anxia pectus,
Dumq; hæret uisu gemit acri saucia telo,
Ignotumq; imo traxit sub pectore uulnus.
At puer euictam sensit, ripasq; cachinno
Implebat, magnumq; ipsis meditatus amorem,
Gaude ô hospes ait saluus mihi flectitur arcus,
Tu sperata tuo medicamina quære dolori.
Sic fatus, tenues fugit ceu fumus in auras,
Regimio alarum, & Parnassi constitut arce,

IANVS at interea tacitis solatia curis
Quærit, & ingentem sub pectore uersat amorem,
Sæpe oculos tristis media inpræcordia flectit
Et iam rore leui, iam suaue uirentibus herbis
Crescentes intus conatur tollere flamas.
Sæpe locum monstrans dolor hic, dolor inquit adhæret
Pluraq; tentanti medijs uox faucibus hæsit.
Talis amor IANVM qualis cum Pyramus olim
Infelix Thysben tremebunda uoce uocaret

Nocturnos

Nocturnos lustrans saltus, uestemq; repartam
Tolleret ad fontem, ferrocq; hauriret amorem.
Talis amor tenuit: parili sed blanda, uicissim
MARGARIS exarsit flamma, sua gaudia donec
Et certam thalamo coepit sperare salutem.

Tityrus.

Quale sopor fesso pastorí uespere sero,
Quale uiatori nocturnos ducere somnos,
Fronde super uiridi tactis ubi læta lapillis,
Vnda sonet, placideq; fluens admurmurat auræ:
Tale tuum nobis carmen doctissime Daphni.
At nos quæ medio nuper deduximus æstu,
Carmina dicemus tibi qualiacunq; uicissim,
Queis sponsum, sponsamq; tuam celebrauimus antè.

Cœruleus nuper tumidarum rector aquarum
Monte sub aërio præcinctus arundine frontem,
Albis ab obscuro placidum caput extulit alueo,
Taliter adstantes affatus uoce sorores.
Fama refert, thalami celebrantem gaudia IANVM
Ad Viadri ripas festas incidere tædas
Qui salices inter tenues, cautesq; uarentes
Littoribus nostris facili deduxit auena
Carmina, quæ multis sunt anteferenda Poëtis.
Felix quæ tali sociatur sponsa marito,
Felix qui tali sponsæ connubia iungit,
Illa decus Nymphis. Nunc docto munera sponso
Mittere præmeditor, diuæ mea gaudia Nymphæ.
Ite nouos syluis, & carena carpite flores,
Quà sæuis nullus nocuit mihi fluxibus imber.
Sic ait atq; aditus sceptro patefecit aquarum
Regalesq; domos, & tecta latentia terris.
Extemplo Nymphæ pratis uelut agmine fasto

Diversæ



Diuersæ excedunt, ut apes æstate serena
Floribus insultant uarijs & rore reperto
Lætantur, teneraque diu dulcedine pastæ
Incumbunt operi, tum cerea tecta reuisunt
Cum strepitu, & dulci distendunt nectare cellas.
Haud aliter Nymphæ thalamis noua ferta parabant.

Et iam finis erat cum fese abeuntibus illis
Ad Viadri flumen, pulcherrima Cymodecea
Dona ferens manibus, nostro gratissima sponso
Obtulit: intextam gemmis, cum murice uestem.
Littore Trinacrio quam nuper candida Pallas,
Stamine suspensam multo intertexuit auro.
Et circum uatis serpentem tempora laurum
Prima fronte uiam posuit, sub imagine uera,
Per iuga, per saltus, & humo recubantia saxa
Tendentem, mox ualle nemus, flauasque myricas
Ad latus inscripsit, uariasque immiscuit herbas.
Parte alia late pandentes brachia fagos
In medio silices adopertos tegmine musci,
Quos inter spinas, & acuto cuspide sentes
Distribuens, longis distinxerat interuallis.
Hos iuxta facilis textæ de uimine sepes
Obscuramque intus calleim, cæcisque latentem
Syluarum tenebris, atque horrida lustra ferarum.
Ultima pars bifidi referebat culmina montis
Quo quondam doctæ posuere sedilia Musæ.
Illic tuta quies multum redolentibus aruis
Sedit & alternis mulcebat plausibus auras.
Illic Pierides necebant pollice ferta,
Et passim uifæ suaves agitare choreas.
Interdum numeris faciles deducere uersus,
Munera quæ sponso pulcherrima Cymodocea

D

Fecerat

Fecerat æterni monumentum , & pignus amoris.
At sociæ passim studio fallente labore*i audiob*
Naiades ornabant thalami solennia festa
Quotquot erant , pariter cœperunt plaudere tensis
Ad cœlum palmis,Hymenæa facra canentes.
Iamq; ubi perplacidam suadebant astra quietem
Lunaq; nocturno scandebat in aëra curru,
Aspersere thoro flores, & prata rosarum,
Pallentes hederas,apium,pulchrosq; Hyacinthos
Serpillum,lauros & amantes littora myrtos ,
Parthemio mistum florem bene olentis amomí,
Verbenas ,suauemq; thymum, gratamq; conizam,
Scordion,& multum dulci Lybanotida odore,
Singula miscentes uiolis ,cœtuq; soluto
Ad sedes redière suas , & littora nota.

Tytere iam summis sparguntur montibus umbræ,
Et nox atra polum densa caligine condit,
Sume pedum, tempus pecudes includere septis.
Aspice,dumq; loquor , caprum in sua coruua stantem,
Hei uere or tenero ne rodat palmite uites.

F I N I S.

EPITHALAMION

SCRIPTVM CLARISS: VIRO D.
MAGISTRO IOHANNI SCHOSSE

Poëtae Laureato & professori in Academia Franc-
phordiana, & honestiss: Matronæ Margaritæ
&c. Iohanne Bockelio autore,



Φησί πλάτων πάντων δύσις πέρι μήδεα οἰδην,
Αλφκηνός φύσεως φέρτατ Θ δύσις ἔφυ.
Μένπεσι ποιητῶν δρμή πρόπτερον τόπον
ιούλιον θεράνιον φρεσινί πνέσσι τόπον.
Ἐξοχα τὴν ἄλλον ιούλιον σε χοανῆρε ἔθικαν
μάντιλα, καὶ δῶκαρ θέσφατα πολλὰ λέγειν.
Μήλιχαι οἱ χάριτες, ιούλιοι μάστου, θεοὶ ἄριστοις,
ιούλιος πατρός φόιβος ἀγλαοῖς ἐστι τέκνον.
Στο μέλος διμετέρες καὶ τοι πολυπόροις δέσποινες,
ῶς μέλος ἐκ σόματος καλλιρόοοιο γένει.
Τοῦωντα τὴν μάστων κοσμητέεσσιν ἀγανοῖς
εὐλατατος, αγλασίνη λέυκορις ἐστι εὐλόγος.
Πρυκῆρος σε ωλέσσες ἀγαπᾶσσες ὁ αστίμονος θεοὶ^{τόποι}
ορθέλιος, συ εὐλογοὶ τὸν θεόδωρον ἔχεις.
Στο δία μαρασῶν τὸν σοι πόρε φοῖβος Αἰωνῶν
ἡ ἀδειας λιγνῷ ἔργα προΐκαντος ὁ ποτε.
Τοῦωντανῶν πολλοὺς λέιπων τὰς ἄλβιδος δύχθας
λυπτῖς, τοῖς δὲ φρεσιν πένθεα λυγχά πορεῖς.

D ij 15

δέ οὐφελεῖται μέγας ήμῶν ὃς Χοακίμος ἄριστος
μίμηση, οὐχὶ μολπῇ λέυκοριμ δύνθατο πρόσωπο.
ἀντάρτης τὸν θεόν οὐχὶ τὸν γῆραν ἀναγκή,
κύριος Θεός ημῖν ὅτινα ἀνωγε θεός.
Δῶκε θεός καὶ σὺνών σοι οὐχὶ προτικαλλέα νύμφην,
τῆς γε βροτοῖς οὐδὲ μέρη φέρτορον δέξι γέρας.
Καλλιόπη καὶ ἄλλαι μάσται καὶ φοῖβος Απόλλων
ἢ πρὶν πάντων Θεότατος ἔστι βροτήν,
λιανόμεν ἕκομ πρός γεύσιν πᾶσαι Αφροδίτη,
τῇδε καὶ ἐνξάμψαντα λεγουσιν εἶπε.
ἢ κύπροι παγκρατέρας ταυσιπήρης λίνια χρυσίρ
ἢ τοῦ ἔρωτος ἔχεις μετόφοιτον δέ.
δέπιον ἀνὴρ κλυτὸς Χοακίμος μάνις ἄριστος,
ζεῦς μάσται νύμφην δένται εθέλαστι καλῶν.
Πανδαμάτωρ δὲ ἔρως στόχος πάντας διαίτης αὐτοῖς πρέστω,
κελωάτω καὶ ἐυχός λιανομενής ημέτορος.
τίδε κύπροις καλέει ἀντῆς τὸν πάντας ἔρωτα.
ἄντες δέ τοι οὐχὶ εἴπεις οὐδένα λέγει,
τέκνον εμόν κρατορόν μηνός ξαῖσιν ερημούς ερεσμα,
καὶ διώνεις ὅτινα λέγω πείθεο δὲ κακέμοι.
καὶ ἄρα τοῦτο λάβε καὶ ἀμφιρεφέατε φαρέτρω,
Χοακίμῳ νύμφην δίξει τέκνον εμόν.
οὐχὶ δέος μην Θεότητα καὶ γηρον, δέ συ ἀπαντας
Δαμνάς ἀθανάτος τοῦ μορόπωντε γένος.

ως

τος έφαθη κύπριε, ιψή της Δέπλεσατο θάλασσα.
ώντα έρωτον πόλεων τοῖς αχέρεοις οὐχ ωρ.
Πρῶτα δε λανκορίδων καὶ Θυρούρον οὐκέτι Νυμφῶν
μελιχιῶν μίξων ἡλινοὶ κλλορίται.
αυταρτῆδε εἶρων μετὸν οὐδὲ μίτραν οὐδὲ θυμάσια,
καὶ στρόφην οὐνεῖται οὐδὲ μέρη αφύκει βέλος.
κέθυνδε εἰς ξυντίνην κλεισθνέδος οὐδὲ πρόστις
φράγκων θῶν κρατορῶν οἰνοφόροιο γένετο.
αυτόθι παπλάνοντο οὐδὲ παῖς τοῖς πυρώδην,
κύλα έτυχε καλλίσ αἴτια γανακός οὐδέ.
τῇδε ποθον γλυκορόν μαλακόν οὐδὲ μεφυστὸν έρωτον
οὐδὲ βέλος εἰς κραδίων κλασσεις οὐκέτι θοον.
μάργαροις κόδιτηρά μίκη καλλίγροπος, οὐφρων,
σέμιν, οικορός, οὐδὲ πολυμήνος έφυ.
μάργαροις δέκατοις πάντων οὐμιώτατος, οὐδὲ
άμμινθοστοῖς κραδίην πρόσφορα πολλὰ φέρουν.
μάργαροις οὖν οὐρών οὐλέ παλυπλῆταγάπησον,
σοι μέγα κέινη οὐει καμίλιον πελέτω.
εὐθύνη μετὸν φιλότητος φύλακος οὐδὲ οὐδὲ,
πάρφασις, οὐδὲ φιλέτει νοῶν οὐλέ έταιρε πέρη.
φύτάντης μαλακῶν οὐλές αγκονίησιν οὐαει,
τὸν Δῆστας δὲ οὐδὲ μέσον οὐμάντα λύη.
τοσούτης οὐρών γλυκορός τούτης οὐδὲ μέσον τέρτιος.
ιψή κύπριε μελίφρων καὶ πολύπεινος έρωτος.
πούτε τούτης οὐδὲ μέσον οὐδὲ μέσον τούτης
αδιάμ, ιψή αλοχον διπέρη οὐδὲ μέσον τούτης.

D 117

οὐτων



οὐτως τόδε θεός Νύμφη ήγκομθός,
Δώρον, διαίτην οὐδεὶς αἴνις.
χαῖρε Θεός θάλλε μια οὔρεα οὐμελθός,
σινοφόρθ κάρπου διέφρονα ητεφέρα.
ηδή μετά σε Νύμφης άιει χοανήρε ορείσε
δυνθέριθάλλωμηδή πενιοφόροστε πέλα.

τέλθ.



εἰπεντούτοις οὐδεὶς οὐδὲ λόγος εἰπεντούτοις
εἰπεντούτοις οὐδεὶς οὐδὲ λόγος εἰπεντούτοις
εἰπεντούτοις οὐδεὶς οὐδὲ λόγος εἰπεντούτοις

εἰπεντούτοις οὐδεὶς οὐδὲ λόγος εἰπεντούτοις



GUTTA ROMA



WT





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-160700-p0035-5

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-160700-p0036-1

DFG

Farbkarte #13



B.I.G.

